



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. De natura intellectionis, seu cognitionis intellectiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

818 De ANIMA. De Potentia Intellectiua,

videremur nobis illos experiri in somno, quod debemus illos habere pro peccatis: nec hoc est contra praxim fori confessionalis, nam qui sunt timorata conscientia, solent confiteri tales motus, etiam cum non sunt certi, quod eos habeant, ad maiorem securitatem, & quia difficile est cognoscere postea in vigilia, an habeatur vere in voluntate inter dormiendum tales motus voluntarii, propterea non habetur pro peccatis certis, & fortassis de iis intelligi posset illud Psal. 18. *Ab occultis meis munda me Domine*; non minus quam de iis quae tradidimus obliuioni; sicut & etiam illi motus, quos habemus in vigilia, de quibus dubitamus an peccata sint, necne. Sed de hoc nihil concludo; sed solum propono rem alii decernendam.

QVÆSTIO VII.

De natura intellectionis, seu cognitionis intellectiua.

Aduertendum hic ante omnia, idem omnino seruata proportione resoluendum de natura reliquorum sensitiuorum, & appetitiuorum, quod resoluetur de intellectione; quia eadem prorsus est ratio de omnibus. Licet vero hanc questionem tam exacte, quam potui in commentario meo ad 1. dist. 3. quæst. 6. examinarim; tamen ne tam principalis pars in hoc etiam tractatu desit, eandem iterum hic repetam, seruata non solum eadem doctrina substantia, sed verbis etiam maiori ex parte, & paucis superadditis ad maiorem veritatis confirmationem.

Prima sententia est, intellectionem consistere in receptione speciei intelligibilis impressæ. Hæc est *Godfredi* quodl. 4. *Egidij* quodl. 3. quæst. 12. & *Suessani* lib. 5. de intellectu, cap. 9.

Secunda sententia est, eam esse veram actionem de prædicamento actionis, per quam nullus terminus producat: ita sentiunt de intellectionibus intuitiuis, quas beati habent in patria de Deo, *Caiet. 1. part. quæst. 27. cum Ferrar. & Capreolo*, qui eandem sententiam tribuit *Aureolo 1. dist. 2.* quoad omnes intellectiones. Sed *Aureolus* nihil tale habet, & potius in 1. dist. 35. videtur tenere primam sententiam.

Tertia sententia est, quod sit qualitas de prædicamento qualitatis, per nullam actionem de prædicamento actionis, sed seipsa producta, distincta à verbo mentis. Sic *Auerſa* quæst. 75. de anima, sect. 3.

Quarta sententia est, eam consistere formaliter in actione de prædicamento actionis, per quam tamen semper aliqua qualitas distincta producat, quæ sit verbum mentis. Hanc sequuntur *Conimbric. 3. de anima, cap. 8. quæst. 3. art. 3. Montesinus 1. 2. dist. 3. quæst. 5. Fonseca, Gonzales, & alij.*

Quinta sententia est *Hurtadi* hic dist. 6. subsect. 1. *Suarium, & alios*, sed immerito, pro se citantis, & existimantis intellectionem consistere formaliter in actione de prædicamento actionis, passione de prædicamento passionis, & qualitate per eas producta: ita ut illa tria sint de essentia, & ratione formali intellectionis.

Sexta sententia est *Complutensium* hic dist. 21. quæst. 3. tenentium eam consistere in qualitate seipsa producta absque actione distincta, & quæ sit tamen realiter distincta à verbo mentis.

Septima denique sententia est, quod consistat formaliter in qualitate, quæ qualitas producat per actionem distinctam non minus, quam calor, aut frigus, & similia. Hæc est *Doctores* in 1. dist. 3. quæst. 6. & suorum communiter.

CONCLUSIO I.

34. *Cognitio intellectiua non consistit formaliter in receptione speciei intelligibilis.* Hæc est communis omnium reliquarum sententiarum contra primam.

Probari solet auctoritate *Augustini 9. de Trinit. cap. ult.* dicentis quod à cognoscente, & cognito pariatur notitia: ergo non consistit formaliter in receptione speciei intelligibilis impressæ.

Hæc quidem auctoritas probat, quod non consistat in illa receptione formaliter, nec etiā verisimile est aduersarios id velle. Sed non videtur probare, quod non consistat in ipsa specie impressa recepta in intellectu, quod il-

lis sufficit. Quod autem hoc non probet, suadet, quia species impressæ producantur ab intellectu, & obiecto, ut relucente in phantasmatibus: ergo quamuis notitia consistet formaliter in illa specie, adhuc pareretur notitia ab obiecto, & cognoscente.

Nilominus locus ille facit ad propositum, quia *Augustinus* loquitur vniuersaliter de omni notitia creata non solum humana, sed etiam Angelica: sed si notitia omnis consistet in specie recepta, omnis notitia non pareretur à cognoscente, quia omnes species non producantur ab intellectu; nam intellectibus Angelorum, vel omnes species, ut tenent *Thomistæ*, vel certe plurimæ infunduntur à solo Deo: ergo cum omnis cognitio pariatur secundum *Augustinum* à cognoscente, non debet consistere in specie impressa recepta, quod est intentum.

Probat secundo ratione; quia non dantur species impressæ in aliquibus potentiis materialibus, ut dictum est suo loco, in quibus tamen reperiuntur cognitiones sensitiuæ; nec etiam dantur probabiliter in ipsa potentia intellectiua pro hoc statu: ergo cognitio non consistit in speciebus receptis, sed in aliqua alia qualitate distincta rationis.

Probat tertio, supponendo dari species impressas intellectiuas, quæ remanent aliquando in intellectu, sine eo quod intelligat per illas; quæ supposito admittitur ab aduersariis, & alias non esset cum ipsis, nisi quæstio de nomine; nam illud, quod ipsi vocarent speciem impressam, esset quod nos vocamus intellectionem, seu speciem expressam. Hoc ergo supposito, sic arguuntur: Dantur in intellectu species rerum multarum, quas non intelligit, ut est evidens: ergo ab illis speciebus receptis non habet intelligere formaliter; quia si ab illis receptis haberet formaliter intelligere, aut si intellectio consistet formaliter in illis receptis; nunquā posset illas habere receptas, quin formaliter per illas intelligeret, quia nunquam potest habere intellectionem formalem in se, quin formaliter intelligat, præsertim nisi per alias intellectiones nimium diuertatur, quod non necessario contingit in proposito, quia intellectus potest plures species habere, quando nihil intelligit, & quando consequenter per nullam intellectionem distrahitur, ut patet in dormientibus.

Hoc argumento coguntur aduersarii concedere intellectionem non consistere in quacunque receptione speciei, seu non sufficere, ut intellectus formaliter intelligat, quod habeat in se species impressas receptas; sed vterius aliqui requirunt aliquem conatum potentia intellectiua, seu aliquam attentionem ipsius.

Sed contra, quia non potest potentia habere conatum, aut attentionem iam, quam ante non habuit, nisi aliquid habeat iam, quod ante non habuit: ergo quando potentia habens species receptas de non intelligente fit intelligens, & de non conante, aut attendente fit conans, aut attendens, debet esse aliquid in ipsa, quod ante non fuit, sed si admittatur aliquid aliud, in illo potius collocanda est intellectio, quam in specie recepta: ergo intellectio non consistit in specie recepta.

Aureolus in 1. dist. 35. respondet alio modo ad tertiam probationem, requiri quidem aliquid aliud ultra speciem receptam, nempe quod obiectum appareat.

Sed contra, quia obiectum habet apparere formaliter per ipsam cognitionem: ergo si ultra speciem receptam requiratur apparere obiectum; requireretur ultra speciem receptam cognitio, & consequenter cognitio non consistit formaliter in specie impressa recepta.

Confirmatur: quia non potest intelligi, aut explicari, quomodo obiectum, quod ante non apparuit etiam habita specie impressa recepta, postea appareat potentia, nisi dicatur aliquid esse in potentia, quod ante in ipsa non fuit: ergo ita dicendum est.

35. *Obyerunt* aduersarii, primo, auctoritatem *Philosophi 3. de anima, cap. 2.* ubi dicit: *Vnus quidem est actus sensibilis, & sensitiui, esse autem alterum.* Quibus verbis intendit actum realem sensibilis obiecti esse eundem cum actu reali sensitiua potentia: sed actus realis sensibilis obiecti est species impressa: ergo illa est actus potentia sensitiua: sed

sed actus potentia sensitiva est sensatio eius: ergo sensatio eius est species impressa in ipsa recepta, & consequenter intellectio, quæ est sensatio intellectus, consistet in specie intelligibili in ipso recepta.

Respondet Ruvius supra cum *D. Thoma in Commentario istius loci*, Philosophum loqui non de unitate reali utriusque actus sensibilis, & sensitivi, sed de unitate subiecti istius actus, ita ut sensus sit, quod tam actus sensitivi quam actus sensibilis habeant idem subiectum, nempe potentiam sensitivam; cum quo tamen stat illos actus esse distinctos realiter.

Verum, quidquid sit de hac responsione, quæ, si verba respiciuntur, omnino dura est; sicut esset durus modus loquendi, dicere quod actus calefactivi, & siccativi esset unus, quando producerent siccitatem, & calorem in eodem subiecto.

Respondeo aliter, concedendo dicta *Aristotelis* in sensu formali, & realitatem siue loquamur de specie impressa, illa potest dici actus sensitivi, quatenus ipsum perficit & complet in ordine ad producendam sensationem; & est actus sensibilis, quatenus ab illo producit; siue loquamur de specie expressa, seu sensatione, illa etiam est actus sensibilis, quatenus ab illo producit; vel immediate, vel mediante specie sua: & est pariter actus sensitivi, non solum quatenus ipsum actuat, & perficit, sed etiam quatenus ab ipso procedit effectivè. Minorem autem distinguo, actus sensibilis est species impressa tantummodo, nego: actus eius est illa species, sed non tantum, concedo. Et similiter distinguo consequens. Distinguo etiam subsumptum illud: Actus potentia sensitiva est sensatio eius. Omnis actus eius est sensatio, nego: aliquis actus, concedo, & nego consequentiam.

Obijciens secundo, intellectus intelligit quando fit similis obiecto, sed fit similis obiecto per hoc quod recipiat speciem intelligibilem impressam: ergo per hoc intelligit.

Respondeo, distinguendo maiorem, quando fit similis obiecto per similitudinem expressam eius concedo; per similitudinem impressam, nego. Distinguo etiam minorem, fit similis per hoc, quod recipiat speciem impressam similitudine expressa, nego; impressa, concedo: & nego consequentiam.

Et si queratur, cur esse similem uno modo sufficiat potius quam altero?

Respondeo id colligi ex fundamentis nostræ conclusionis per quæ patet non sufficere ad hoc, ut intelligat intellectus, quod recipiat speciem impressam, atque adeo non sufficere ad hoc ut intelligat, quod habeat similitudinem quæcumque, quam possit dare ipsi ista species in ipso recepta.

CONCLUSIO II.

59. Intellectio nulla neque abstractiva, neque intuitiva consistit in actione vera, & proprie dicta de prædicamento actionis, per quam nulla terminus producat. Hæc est communissima sententia Philosophorum, ac Theologorum contra secundam sententiam.

Probat primo ex *Doctore supra §. Præterea actionis*: & §. Quod autem non sit actio: quia omnis actio de prædicamento Actionis, debet habere terminum per ipsam productum: ergo implicat dari actionem de prædicamento Actionis, quæ talem terminum non habet, & consequenter intellectio non potest consistere in tali actione.

Probat antecedens, quia per hoc distinguitur prædicamentum Actionis à cæteris prædicamentis omnibus, nec ullus alius conceptus actionis, ut sic, assignari potest, quo distinguitur ab illis, quam quod dicatur esse determinatio actualis, essentialiter faciens causam activam producentem actu aliquid: ergo essentialiter dicit ordinem ad terminum per illum producendum.

Probat hoc ultimum antecedens, quia alias non posset assignari quomodo distingueretur ab aliqua specie qualitatibus.

Dices, actionem distingui posse ab omni specie qualitatibus per hoc quod esset determinatio actualis ad terminum.

Contra, vel intelligis hoc de termino ut sic, abstrahendo à termino per eum productum, vel de termino productum: si secundum dicis, habemus intentum: si primum, contra

est, quia sic omnis determinatio actualis ad terminum, esset de prædicamento actionis, quod patet esse falsum, nam ubi intrinsecum est determinatio ad terminum, & tamen non est de prædicamento actionis.

Probat secundo conclusio contra *Caietanum*, quia intellectio ut sic, potest dari absque termino per eam productum, ut ipse asserit, quia admittit aliquam intellectionem absque termino productum: ergo & omnis. *Probat* consequentia, quia qua ratione intellectus per aliquam intellectionem sine termino per eam productum posset intelligere, eadè ratione posset per omnem: ergo nulla deberet habere terminum productum; ideo enim deberet aliqua habere, quia alias per eam non posset intelligere intellectus.

Probat antecedens, impugnando disparitatem, quam assignat *Caietanus*, dicens propterea intellectionem intuitivam sufficere absque termino productum, qui esset verbum mentis, seu species expressa: quia tum obiectum ipsum secundum se est realiter præsens intellectui; species autem requiritur tantum, quando non est sic præsens, ut per eam constituatur præsens intentionaliter.

Contra hanc disparitatem, quia præsentia quæcumque obiecti, quæ requiritur in quacumque cognitione, est præsentia præcedens ipsam cognitionem: ergo per nullam cognitionem debet produci aliquid, quo constituitur illo modo præsens.

Confirmatur: præsentia realis obiecti quando requiritur ad aliquam cognitionem, debet præsupponi ipsi cognitioni: ergo præsentia intentionalis debet præsupponi cognitioni, ad quam requiritur ad ponendum obiectum illo modo præsens.

Contra eandem disparitatem secundo: quando ipsum obiectum est præsens, videtur non per seipsum formaliter, sed per ipsam cognitionem sine termino productum per illam: ergo sic etiam posset videri, quando esset absens, quamvis nihil produceretur.

Probat consequentia, quia non esset potior ratio cur obiectum absens posset videri mediante termino productum per cognitionem, quam mediante ipsamet cognitionem, si per cognitionem posset videri quando esset præsens.

57. *Dices*, cognitionem debere terminari ad aliquid præsens; unde quando obiectum non est præsens realiter, debet esse præsens intentionaliter, ut terminet cognitionem; sic autem esse non potest præsens, nisi producat species expressa per cognitionem.

Contra, quia producta specie expressa, obiectum absens realiter fit præsens intentionaliter ita sufficere, ut possit terminare intellectionem, & ut vere cognitio actu terminetur ad illud: ergo, quamvis non produceretur illa species distincta à cognitione, posset esse sic præsens.

Probat consequentia, quia si aliquid impediret, maxime quia ut esset intentionaliter, seu intelligibiliter præsens, & dum abesset realiter, requireretur præsentia realis alicuius, in quo contineretur intelligibiliter, & ad quod terminaretur realiter cognitio: sed absque specie expressa producta per cognitionem haberetur aliquid tale præsens realiter: ergo si cognitio in illo casu potest sufficere, ut intellectus videat, poterit semper.

Probat minor, quia species impressa, quæ est gerens vicem obiecti, est sic præsens, & nihil impedit quo minus possit supplere omne illud, ad quod poneretur species expressa producta per cognitionem: ergo, &c.

58. *Dices*, speciem impressam non esse similitudinem expressam obiecti, & formalem, sed virtutalem tantum, & propterea eam non sufficere.

Contra, quia si id quod dicitur similitudo expressa, & formalis, non dicatur esse actualis cognitio obiecti (ut communiter dicitur esse) hoc gratis dicitur.

Deinde tam convenit ipsi esse talis similitudo, quam speciei, aut qualitati ulli productæ per cognitionem.

Denique non est ratio cur requiratur similitudo expressa, aut formalis, si species impressa, aut ipsa cognitio non sit talis.

Dices secundo, per speciem impressam fieri obiectum præsens, tanquam principium intelligendi, non vero tanquam obiectum.

222 2 Contra

Contra, quia si potest fieri præsens, tanquam obiectum per speciem cognitione productam, nihil impedit quominus sic dicatur fieri præsens per speciem impressam: utrumque enim munus non repugnat speciei impressæ. Quemadmodum enim ipsum obiectum, quando est realiter præsens, habet utrumque munus respectu cognitionis intuitivæ, ita etiam speciei impressæ potest competere utrumque munus respectu cognitionis abstractivæ. Et sane per hoc, meo iudicio, convincitur esse superfluum speciem ullam, quæ produceretur per cognitionem, si vnumquam cognitio potest sufficere ad cognoscendum absque specie producta per ipsam: unde prædicta disparitas, & sententia Caietani in ea fundata, nec probabilitatem quidem habere videtur.

59. *Contra illam disparitatem, & sententiam tertio*, quia pro illo priori, quo antecedit cognitio speciem, seu qualitatem illam in absentia obiecti productam, intellectus est cognoscens; absurdum enim videtur esse cognitionem in intellectu pro aliquo instanti, quin per ipsam pro eodem cognoscat: ergo non requiritur aliqua qualitas posterior ipsa cognitione, ut dicatur cognoscens, & consequenter nullo modo requiritur talis qualitas distincta à cognitione, & per ipsam producta, neque in absentia, neque in præsentia reali obiecti.

Quartum denique contra Caietanum facit, quod si intellectus sit actio de prædicamento actionis ut debet esse, si per eam vnumquam producitur verbum mentis, semper debet necessario habere terminum productum; actualis enim determinatio alicuius ad aliud semper debet esse talis, ut patet ex doctrina communi de relationibus & modis.

Fundamentum aduersariorū esse potest, quod intellectus sit actio immanēs, & operatio, & quod distinguatur ab actione transiente, per hoc quod transiens relinquit opus post se, & consequenter habeat terminum; immanens vero non relinquit opus post se, & consequenter non habet terminum. Quod discrimen utriusque desumitur ex Philosopho 9. *Metaphysicæ*. 19. dicente: *Quorum non est aliud opus præter actionem, in ipsismet actio, ut visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima*: ergo intellectus non habet terminum per ipsam productum.

Respondio primo hinc sequi contra Caietanum, quod nunquam habeat terminum productum.

Respondio secundo, concedendo totum: sed inde non sequitur quod consistat in actione de prædicamento Actionis non habente terminum per ipsam productum. Itaque si capiamus actionem immanentem pro ipsa intellectione, seu specie expressa, quam intellectus in se producit: illa quidem non habet terminum productum, nec est de prædicamento Actionis: si vero per actionem immanentem intelligamus actionem, per quam agens illam speciem producit, illa habet terminum, & est de prædicamento Actionis, ut patet. Cætera fundamenta proponemus infra, contra nostram sententiam.

CONCLUSIO III.

60. *Intellectus non consistit in qualitate quæ seipsa producitur ab intellectu sine actione media: & si esset talis qualitas à parte rei, adhuc quod haberet rationem, est impertinens ad rationem ipsius, quatenus intellectus est.* Prima pars est communis contra tertiam sententiam, quam probabilem censet Suarez & Hurtado: secunda vero pars est nullius, quod sciam.

Probatur prima pars, quia si seipsa ingrederetur ab intellectu absque ratione distincta, non posset produci absque concursu intellectus à solo Deo, nec qualitas illa, quæ est in vno intellectu, posset poni in illo intellectu: sed hoc videtur falsum, quia nulla prorsus apparet aut assignari potest ratio tam necessariæ connexionis inter intellectum & illam qualitatem absolutam, quæ est similitudo expressa obiecti, ratione cuius non posset produci à solo Deo absque concursu intellectus, aut transmitti ab vno intellectu ad alium intellectum.

Confirmatur hoc: quia quamvis aliquæ formæ seipsas egrediantur à suo obiecto, ut actio, tamen hoc ideo fit, quia alias daretur processus in infinitum, nisi sisteretur in aliqua tali, & sequeretur manifesta contradictio, si

illa forma in qua sisteretur, poneretur in rerum natura absque illo obiecto, ex quo egrederetur. Quæ contradictio potest colligi ex natura ipsius & fine, ad quem ponitur: sed in proposito nostro non sequeretur processus in infinitum ex eo, quod qualitas illa, quæ est intellectus, producat media alia actione, & non dicatur egredi seipsa: neque ex natura ipsius quatenus intellectus est, aut finis, ad quem ponitur, potest colligi, quod sequeretur vlla contradictio, si poneretur extra subiectum, aut si mutaretur ab vno subiecto in aliud: ergo non debet dici quod seipsa egrediatur à suo subiecto.

Confirmatur secundo, quia calor non egreditur seipso ab igne, aut ab vlllo alio subiecto, à quo producitur: ergo nec intellectus. Antecedens admittitur ad aduersarios. Probatur consequentia: quia ideo dicitur de intellectione, quod egrediat seipsa, quia alias multiplicarentur entia sine necessitate: & ideo multiplicarentur entia sine necessitate, quia non est implicancia, quod intellectus seipsa absque actione superaddita egrediat, aut producat ab intellectu: sed eodem modo posset dici, quod non sit implicancia, quod calor seipso egrediat, à quocumque subiecto, à quo producitur: ergo posset dici, quod egrediat seipso; aut si hoc non dicitur non potest dici quod intellectus seipsa egrediat.

61. *Dices*, calorem produci de facto in subiecto, à quo non potest egredi effectiue, v.g. in aqua, quæ non videtur habere virtutem effectiuam caloris: ergo non egredit seipsa effectiue ab omni suo subiecto, & si non egrediat ab omni, non debet ab vlllo.

Contra, quia sicut potest recipi in subiecto aliquo, à quo effectiue producatur media actione ut admittunt aduersarij, licet etiam posset recipi in alio subiecto, à quo effectiue non producitur: ita etiam, posset seipsa egredi ab aliquo subiecto, licet ab alio subiecto, in quo reciperetur, non posset recipi.

Contra secundo, quia calor ille qui egredit seipso à subiecto à quo efficitur, non producitur in subiecto à quo non efficitur, sed alius calor: sed ex eo, quod alius calor sic producatur, non sequitur quod productus à suo subiecto non egrediat seipso.

Dices, illos calores esse eiusdem rationis, & consequenter, sicut alius calor poterat produci in subiecto à quo non efficitur, ita posset etiam quicumque calor in illo produci.

Contra, quia calores non magis sunt eiusdem rationis, quam intellectiones eiusdem obiecti, ex eodem motiuo: sed hoc non obstante secundum aduersarios intellectione proveniens ab vno intellectu non potest provenire ab altero, quia scilicet seipsa egreditur ab vlllo intellectu: ergo similiter posset dici, quod quamvis calores essent eiusdem rationis, tamen calor egrediens ab vno subiecto, non posset poni in alio, & posset æque dici quod hoc proveniret ex diversitate individuali istorum calorum, quemadmodum dicitur de intellectionibus.

62. *Dices*: accidentia absoluta Eucharistica, quæ subiebatantur ante in pane, & physice ab ipso producebantur, manent absque pane: ergo non egrediebantur seipsis à pane, quia si egrederentur sic, non possent absque pane conservari: sed eadem ratio est de ipsis, ac de calore, & quibuscumque aliis similibus accidentibus absolutis: ergo non debet dici quod calor seipso egrediat ab vlllo subiecto.

Contra, si secludamus mysterium Eucharistiæ, eandem rationem habemus dicendi, quod illa accidentia egrediebantur seipsis, ac id dicendi de qualitate, quæ est intellectus: ergo quantum ad rationem naturalem æque deberemus dicere quod intellectus posset, vel non posset conservari absque suo subiecto, ac de illis qualitatibus: & ergo ulterius si ex mysterio Eucharistiæ habemus, quod illæ qualitates possent conservari absque subiecto, ex quo emanant, aut producuntur, & consequenter, quod non egrediantur seipsis, sed media actione, eodem modo debemus id colligere de qualitate intellectionis: quotiescumque enim quantum ad rationem naturalem id dicendum est de pluribus, si aliquid præter rationem naturalem miraculosè contingit circa vnum, debet dici simile quid miraculosè posse contingere circa reliqua: &

Intellectus non consistit in qualitate seipsa produca.

& hinc optime deducitur, quod si frigus possit cōseruari miraculose absque subiecto, idē dicendum sit de calore.

Probat̃ur secundo, quia si qualitas intellectiōis seipsa produceretur à potentia, illa qualitas, quæ à sola potētia procedit, non posset procedere ab habitu & potentia, nec qualitas procedens à potentia, & habitu simul concurrentibus posset procedere à sola potentia, sed hoc est absurdum, quia sic habitus requireretur ad suos actus simpliciter, & non tantum ad melius esse.

63. *Respondet ad hoc Auerſa* dupliciter: primo concedendo sequelam, & negando minorem, ac admittendo sequelam probationis.

Verum, quandoquidem Philosophi communiter existimant inconueniens esse, quod habitus naturalis requiratur simpliciter ad actus suos, nisi constet oppositum aliqua vrgenti ratione, non debet asseri: non habet autem *Auerſa* talem rationem.

Deinde non apparet vlla differentia inter actus quorum vnus procederet à potentia & habitu, & alter à sola potentia, ratione cuius vnus essentialiter postularet provenire ab habitu, & alter non.

Præterea, si esset talis differentia, actus qui procederet à sola potentia, non deberet producere habitum illum, qui esset determinatus ad producendum alterum actum diuersæ rationis à seipso.

Respondet secundo negando sequelam, quia licet actus vitalis seipso egrediatur à potentia vitali, tamen non debet seipso egredi ab aliis causis: vnde potest eadem qualitas, quæ seipsa egreditur ab intellectu, aliquando provenire ab habitu, aliquando sine habitu.

Contra, quia quotiescumque est actio totalis sufficienter productiva alicuius effectus, non debet poni alia actio respectu ipsius in vlla causa: sed si qualitas intellectiōis seipsa producit ab intellectu, & specie sufficienter, quoties sic producit, ponitur actio totalis sufficiens, & necessario producit, nimirum ipsamet qualitas, quæ seipsa habet rationem actionis totalis, quandoquidem seipsa debeat tum necessario egredi, nulla alia posita actione: ergo non debet poni alia actio ad ipsam terminata. Sed quotiescumque habitus posset ad ipsam concurrere, debet intellectus, & species sic proponi, vt ipsa necessario deberet seipsa egredi, quamuis non esset habitus: ergo non debet poni actio aliqua correspondens habitui, nec potest poni naturaliter, quia superflueret; nec etiam supernaturaliter in sententia *Scoti* negatis duas causas totales posse dari respectu eiusdem effectus, aut vnā totalem, & alteram partialem.

60. *Fundamentum præcipuum Auerſe*, & aliorum aduersariorum est, quod non repugnet qualitatē illam seipsa egredi, & quod si non diceretur sic egredi, multiplicarentur entia sine necessitate: ergo id dicendum est.

Confirmatur: quia id dicendo saluatur differentia inter qualitates vitaliter productas, & nō productas vitaliter, nimirum quod illæ seipsis producantur, hæ vero nō ita.

Respondet negando antecedens, tam enim id repugnat, quam calorem sic egredi, & non magis multiplicarentur entia sine necessitate, asserendo illam qualitatem produci mediante actione distincta, quam id asserendo de calore.

Ad confirmationem respondeo talem differentiam non debere poni inter qualitates vitaliter productas, & non productas vitaliter: & propterea ad saluandam illam differentiam non debet dici, quod actus vitales seipsis producantur.

Doctrina
Complu-
tensium.

Complutenſes Carmelitæ conuenire videntur cū *Auerſa* disp. 21. de anima q. 4. vbi dicunt dictionem non esse aliam operationem ex æquo distinctam ab intellectu, sed esse ipsamet intellectiōem cum modo quodā, seu formalitate modalī superadditam, quem modum, seu formalitatem ponunt non vt producatur ipsamet intellectiō, sed potius vt intellectiō producat verbum. Pro qua doctrina citant plures authoritates *D. Thomæ*.

Sed in primis si tanti res esset, facile esset ostendere nullo modo fauere ipsis dictas authoritates.

Deinde postea ostendimus, quod dicunt de verbo pro-

ducto per intellectiōem, quæ esset qualitas absoluta, male fundari.

Tertio denique quod asserunt dictionē non distingui ex æquo ab intelligere, sed solum esse modum quemdā ipsi superadditum, si per hoc intelligunt, quod non habeat tantam distinctionē ab intellectu ex hypothesi quod intellectiō producat verbum, quantum habet actiō vlla à sua causa, omnino falsū est; quia est eadem ratio ponendi æqualem distinctionem actionis à sua causa vel subiecto, ac dictionis ab intelligere, vt discententi pater.

Rursus quamuis intelligere produceret verbum, tamē dictiō, quæ esset productiō, non deberet esse modus ipsius intelligere, sed ipsius verbi, in *Thomistarum* sententia, qui ponunt actionem ex parte termini.

65. Sed examinemus etiam rationes, quas adducunt ad probandam hanc suam doctrinam. Itaque *probat̃ur primo* verbum procedere ab intelligere, & consequenter dictiōnem, quæ dicitur verbum, non esse distinctam ab intelligere, seu intellectu: verbum procedit à notitia rei intellectæ: ergo ab intelligere.

Probat̃ur antecedens primo, quia hoc ipso, quo nihil intelligatur, nihil potest intellectualiter dici: ergo verbum procedit ab intelligere.

Secundo, quia præcisè per hoc, quod producatur verbum, habet res intellectu esse intellectæ: ergo verbum procedit ex notitia rei intellectæ.

Tertio, quia de ratione verbi mentalis est, quod procedat ab intellectu, tanquam terminus suæ operationis; sed operatio adæquata intellectus est notitia rei intellectæ.

Quarto denique, quia Verbum diuinum procedit ex cognitione essentiae diuinæ: ergo verbum creatum procedit ex aliqua cognitione.

Respondeo negando antecedens: nam potius verbum est ipsa notitia rei cognitæ.

Ad primam probationem, nego consequentiam; quia nō ideo nihil dicitur, si nihil intelligitur, quod id quod dicitur procedit ab intelligere, sed quod id quod dicitur, sit ipsamet intellectiō.

Ad secundam probationem, nego etiam consequentiam ideo enim res intellectæ habet esse talis præcisè, per hoc quod producatur verbum; quia ipsum verbum est intellectiō.

Ad tertiam probationem distingo maiorem; tanquam terminus suæ operationis, quæ est dictiō, seu actiō productiva intellectiōis, & notitiæ genitæ, concedo; tanquam terminus operationis, quæ est qualitas, nego maiorem. Distinguo etiam minorem, operatio quæ est qualitas, concedo: operatio quæ est dictiō, seu actiō de prædicando ento actionis, nego.

Ad quartam probationem, distingo antecedens, tanquam ex ratione formali producendi, nego: tanquam ex aliqua perfectione præsupposita necessario, transeat; & nego consequentiam; quia ad verbum creatum non debet præsupponi notitia, neque tanquam ratio formalis, neque tanquam perfectiō necessatio competens supposito ante productionem verbi.

Probat̃ur secundo dictionem esse modificationem intellectiōis, quia per hoc, quod intellectiō producat verbum, non infertur specialis aliqua habitudo intellectiōis ad obiectum: ergo talis productiō addit modificationem tantum, & non nouam speciem intellectiōis.

Respondeo negando antecedens; quia per hoc, quod producatur verbum, colligitur quod sit distincta speciei ab intellectu non producente, cum illa, quæ non producit, debeat esse abstractiua; altera, quæ producit, intuitiua: abstractiua autem cognitio sine dubio distinguitur specie ab intuitiua. Deinde si concederetur totum, non sequeretur quin dictiō distingueretur tantum ab intelligere, quantum vlla actiō à suo subiecto, vel causa.

Probat̃ur secunda pars conclusionis: quia quamuis seipsa egrederetur illa qualitas, hoc tamen non esset necessarium, vt intellectus per illam intelligeret: nam si per impossibile non egrederetur seipsa, sed produceretur ab intellectu actione distincta, adhuc intellectus intelligeret per illam: ergo quod sic egrediatur est impertinēs

Ad intel-
lectionem
imperti-
nens est
quod seip-
sa egre-
datur.

ad rationem formalem ipsius, quatenus intellectio est.

Confirmatur per dicenda conclusionem sequenti.

CONCLUSIO IV.

66. *Intellectio non consistit formaliter in actione sola, per quam intellectus producit qualitatem illam in se, quam habet quando intelligit; neque actio illa, aut passio est de ratione formali intellectiois, sed sola qualitas est intellectio formaliter loquendo.*

Probatur prima pars, quod scilicet non consistat in sola illa actione, ex Dōctore 8. Quod autem non sit actio. Intellectio est ultima perfectio intelligētis, qua intellectuius est: ergo non consistit in actione productiva termini. Antecedens patet, quia eo ipso, quo intelligeretur intellectus reductus ad actum secundum perfectum intellectiois alicuius obiecti, quamuis nihil aliud intelligeretur aduenire ipsi, intelligeretur ultimam compleri in ordine ad tale obiectum.

Probatur consequentia, quia nulla actio de prädicamento Actionis productiva termini, potest esse, aut intelligi ultima perfectio rei cuius est; quia omnis talis essentialiter ordinatur ad terminum per eum producendum, qui terminus si perficiat agens, erit potius ultimata perfectio eius, quam ipsamet actio ad ipsum ordinata, ut patet; si vero non perficiat agens, tunc nec actio erit perfectio agentis, sed potius erit perfectio illius, quod recipit terminam productum, aut ipsiusmet termini producti, si producat in seipso.

67. *Quod si dicat intellectioem, aut alios actus immanentes non posse esse ultimam perfectionem agentis per se, quandoquidem per ipsos producantur habitus.*

Respondet Doctor primo, ex hoc ipso probari, quod intellectio non possit esse actio, quia actus immanentes non sunt productiones habituum, eo modo, quo actio de prädicamento Actionis est productio sui termini, quandoquidem sæpe habeantur, cum non producat habitus (ut cum habitus est summe intensus, aut cum actus est longe remissior, quam habitus ante acquisitus, secundum aliquos) & semper haberi possent, si Deus nunquam vellet concurrere ad productionem habitus, sed producat habitus per modum principiorum actionum, aut dispositionum, habentium virtutem productivam, aut dispositionem in actu primo. At actio de prädicamento Actionis est productio tantum sui termini, & non est causa productiva eius: ergo si actus immanentes producant habitus, non sunt actiones de prädicamento Actionis.

Confirmatur actio de prädicamento Actionis est relatio secundum veriorē Scōstiarum sententiam, aut modus secundum recentiores; sed nec relatio, nec modus potest habere virtutem productivam qualitatis realis, qualis est habitus: ergo si actio immanens producat habitum non potest esse actio de prädicamento Actionis.

Respondet secundo, habitum non posse esse terminum intrinsecum, ad quem per se ordinatur intellectio, tum quia, ut dictum est, intellectio potest haberi sine habitu sequente; tum quia ipsimet habitus ordinantur ad aliam intellectioem, & tandem sistitur in aliqua intellectioe, quæ non indigeat habitu; unde potius intellectio est ultimus terminus, & ultima perfectio intellectus, quæ habitus: cuius etiam indicium est, quod si posset haberi intellectio perfectissima, & perfectissimo modo sine habitu, sufficienter perficeretur intellectus per illam: sed si haberetur habitus perfectissimus, & perfectissimo modo, sine intellectioe, non sufficienter perficeretur intellectus: ergo intellectio potius est ultima perfectio, quæ habitus;

68. *Probatur secundo quoad eandem partem, quia si ipsamet actio de prädicamento Actionis esset intellectio, nullum haberet effectum qualitas sequens: sed est absurdum ponere aliquam qualitatem absque aliquo munere, vel effectu: ergo cognitio non consistit formaliter in illa actione.*

Probatur sequela, quia nullus effectus tribui potest ipsi, nisi in ordine ad constituendum intellectum intelligentem; sed hoc habet formaliter ab intellectioe.

Dices intellectioem non posse esse sine illa specie, quæ est terminus eius, & consequenter esse necessariam illam qualitatem, ut sit intellectio.

Contra, quia hinc sequeretur non esse necessariam qualitatem illam, nisi in ordine ad hoc, ut habeatur ista actio quæ est formaliter intellectio: & non habente aliud munus; sed hoc est absurdum: ergo nulla responsio.

Probatur subsumptum, quia uniuersaliter potius actio est in ordine ad terminum, & ad hoc, ut sit terminus, quæ terminus in ordine ad hoc ut sit actio: unde si terminus non esset proficiuus, nec actio esset proficiua: ergo terminus debet habere aliquem effectum distinctum ab hoc, quod est terminare actionem, aut adesse, ut sit actio.

Probatur tertio conclusio quoad omnes partes: quia ipsamet qualitas secundum se est similitudo expressa obiecti, & conceptus formalis ipsius; sed nihil prorsus requiritur ad rationem formalem intellectiois, præter illud quod requiritur formaliter ad illam similitudinem, & conceptum: actio autem, & passio licet requirantur ad ponendam illam qualitatem in esse, tamen non requiruntur tanquam quid formaliter pertinens ad illam similitudinem: ergo non sunt intellectio, nec de ratione formali intellectiois, & consequenter sola qualitas illa est intellectio.

69. *Probatur quarto, quia de ratione formali intellectiois, ut sic, non est actio, ut patet in intellectioe diuina: ergo nec de ratione formali intellectiois creatæ.*

Probatur consequentia, quia nihil debet dici esse de ratione intellectiois in particulari supra id, quod est de ratione intellectiois, ut sic, nisi quod sufficit ad determinandam intellectioem in particulari ab omni alia intellectioe, quæ comprehenditur sub intellectioe, ut sic; sed quæcumque intellectio particularis sufficienter distinguitur à quacumque alia intellectioe absque eo, quod dicatur includere tanquam rationem formalem constitutivam sui actionem illam, aut passionem ipsi correspondentem: ergo non debet ipsam includere.

Probatur quinto, quia nihil prorsus impedit, quo minus illa qualitas redderet intellectum formaliter intelligentem, quamuis non produceretur ab intellectu vlla ratione, modò uniretur ipsi per inhaesionem, ut postea dicitur amplius: ergo illa actio non est intellectio, nec de ratione formali intellectiois, quia si esset, non posset intellectus esse intelligens absque illa.

70. *Ut autem vitetur questio de nomine, quæ posset esse hic, aduertendum, intellectum intelligere nihil aliud esse, quam quod percipiat obiectum sensibiliter tali modo, quo sentimus nos percipere obiecta illa, quæ dicimus nos intelligere: nec aliquid prorsus requiritur ad intellectioem, præter id quod requiritur ad hoc. Vis ergo huius rationis consistit in hoc, quod nihil impediat quo minus ab illa qualitate sola habeat intellectus intelligere hoc modo.*

Ideo autem aduertere hoc, quia aliquis posset accipere ly intelligere pro eo quod esset intellectioem in se producere, & ly intellectio pro conceptu producto ab intellectu, ita ut non solum significaret conceptum, sed etiam ipsius productionem; & in hoc sensu intelligere diceret formaliter actionem, & actio esset de conceptu formali intellectiois; & qui negaret intellectioem hoc modo capi posse, solum haberet questionem de nomine cum illis qui id assererent. Ad vitandum ergo hanc questionem, & æquiuocationem, in qua etiam peiorem sane partem habent, qui asserunt intellectioem hoc modo capi posse, & ad examinandam questionem, quæ posset esse de re, aduerte per intellectioem intelligi à me, & ab omnibus debere intelligi in questione præfenti, illud à quo formaliter habet intellectus percipere obiectum sensibiliter modo supra explicato.

Obijcies pro Conimbricensibus. Intellectio est assimilatio quædam inter intellectum, & obiectum, ratione cuius Philosoph. 3. de anima, text. 16. ait intellectum in actu, id est, intellectum actu intelligentem, fieri ipsam rem cognitam. Et inde etiam August. 14. de Trinitate. 17. dicit visionem beatificatam intellectum perfecte assimilari Deo, iuxta illud 2. Ioan. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est: ergo per intellectioem Dei necessario producenda est similitudo expressa Dei, & consequenter

ter intellectio est productio talis similitudinis.

Respondeo negando consequentiam, sed potius sequitur, quod ipsamet intellectio sit expressa Dei similitudo; id enim magis conueniet prædictis authoritatibus.

Obijciens secundo pro *Hurrido*. Intelligere est quoddam pati, ex Philosopho supra: ergo includit passionem formaliter.

Respondeo negando consequentiam, quia catenus solum dicitur quoddam pati, quia est denominatio formalis proueniens à forma intrinseca; non vero ex eo, quod intellectio, à qua oritur illa denominatio, debeat includere formaliter passionem, magis quam calor includit.

Obijciens tertio pro eodem. Intellectio est vita in actu secundo: ergo includit actionem, per quam qualitas illa producit.

Probatur consequentia, quia vita in actu secundo est id, quod facit viuens in actu primo viuere formaliter in actu secundo; sed vel actio, qua producit illa qualitas, est quæ hoc facit, vel certe includitur in eo, quod id facit: ergo illa actio, vel est intellectio, vel includitur in ratione formali intellectiois.

Respondeo negando consequentiam cum minori suæ probationis; quia quamuis non esset illa actio, modo esset illa qualitas, redderetur illud, quod erat viuens in actu primo, viuens in actu secundo. Verum quidem est, quod per actionem illam de facto reddatur viuens in actu primo, viuens in actu secundo, sed causaliter tantum, & effectiue, quatenus scilicet per illam producit qualitas illa quæ est vita in actu secundo, & quæ formaliter facit viuens in actu primo esse viuens in actu secundo; non vero per actionem redditur viuens in actu secundo formaliter ita, quod ipsamet per communicationem formalem sui faciat ipsum viuens in actu secundo. Itaque sicut, licet per productionem caloris in se aliquid sit calidum, tamē illa productio non est de intrinseca ratione caloris, nec constituit illud subiectum calidum formaliter loquendo, secundum omnes: ita licet per productionem qualitatis in se intellectus redderetur intelligens, & viuens in actu secundo, tamen illa productio non debet esse de intrinseca ratione intellectiois, aut vite in actu secundo, quia est eadem prorsus ratio de utroque.

72. *Obijciens quarto*, Philosophus 10. *Ethicorum*, cap. 3. ait: *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt, neque felicitas; sed operationes virtutis, & felicitatis sunt actiones immanentes intellectus, & voluntatis: ergo tales actiones non sunt qualitates, & consequenter intellectio non est qualitas.*

Confirmatur, quia idem Philosophus 9. *Metaphys.* 9. & 1. *Magnum moralium* ult. diuidit veram, & propriam actionem in transeuntem, & immanentem: ergo utraque est vera actio de prædicamento Actionis, & consequenter intellectio, quæ est secundum omnes actio immanens, erit de prædicamento Actionis, non Qualitatis.

Respondeo primo Philosophum non tam asseruisse, quā supposuisse ex sententia eorum, quorum ibi argumentum respondebat operationes virtutis non fuisse qualitates, & tamen fuisse bonas; ut inde ostenderet non valere rationationem eorum inferentium, quod voluptas non esset bona, quia non erat qualitas: nam cum operatio virtutum secundum ipsos fuisset bonum quid, quamuis non esset qualitas; voluptas etiam posset esse bonum, licet non esset qualitas.

Respondeo secundo, quamuis absolute vellent illas operationes non esse qualitates, id intelligendum de qualitatibus diu, & perseveranter permanentibus in esse, aut de qualitatibus conseruatiuis, aut corruptiuis.

Ad confirmationem dico, duo reperiri in potentiis vitalibus atque operantibus, quæ possent vocari actus immanentes; vnum est ipsa dictio, per quam producit species expressa; alterum est ipsa species expressa. Si ergo de prima loquamur, concedo actionem ut sic, de prædicamento Actionis diuidi vniuocè in immanentem, & transeuntem; & has utrasque propterea esse proprias actiones de prædicamento Actionis. Si autē loquamur de secundo, quod vocatur actio immanens, nego actionem ut sic, di-

uidi vniuocè in immanentem, & transeuntem; & consequenter nego immanentem debere esse de prædicamento Actionis.

Vnde in forma distinguo antecedens, loquendo de actione immanenti, quæ est actus potentie vitalis; diuidit actionem ut sic, in actionem immanentem, & transeuntem diuisione vniuoci in vniuocata, nego, & vniuoci in æquiuocata, vel analogi in analogata, concedo antecedens, & nego consequentiam.

73. *Et si quæras*, an actus vitalis sit proprie dicta actio.

Respondeo esse questionem de nomine, & ad propositum præsens sufficere quod non sit proprie dicta actio de prædicamento actionis, siue secundum alium conceptum sit proprie dicta, siue non. Sed quia probabile est, quod ratio, cur vocetur actus immanens actio seu operatio, est propter proportionem, quam habet specialē cum actione de prædicamento actionis; quæ proportio consistit in hoc, quod quemadmodum actio de prædicamento actionis est in ipsomet agēte (ut *Scotista* tenent) & depēdet in esse & fieri ab ipso, ut agens est, & habet virtutem actionem, estque determinatio illius ad aliud: Hinc probabilius censeo actum immanentem non vocari proprie actionem, quia quæ analogicè & propter proportionem quam habent cum alia re, dicuntur talia, non proprie sic dicuntur, alias prætā dicerentur proprie ridere, dum florent, contra omnes.

Obijciens secundo, sequeretur quod intellectio esset terminus productus per actionem intellectus, sicut calor est productus per calefactionem. Sed hoc est absurdum, quia illa actio intellectus esset intellectio, esset enim actus potentie intellectiue.

Confirmatur primo, quia ad actionem non datur actio: ergo intellectio non producit per actionem, & consequenter erit actio de prædicamento actionis.

Confirmatur secundo, quia per intellectioem producit verbum mentis; ergo est actio de prædicamento actionis.

Respondeo negando minorem cum sua probatione: neque enim esset actus intellectus, sed potius actio intellectus. Quod si etiam dicenda esset actus intellectus, tunc falsum esset quod omnis actus intellectus esset intellectio; sed solus iste actus ipse esset talis, qui esset qualitas.

Ad primam confirmationem, distinguo antecedens, ad actionem de prædicamento actionis, concedo; ad actionem de prædicamento qualitatis, nego antecedens & consequentiam: quia intellectio est actio de prædicamento qualitatis.

Ad secundam confirmationem dico, nobis nō facere difficultatem, quia negamus antecedens: intellectio enim est ipsum verbum, quoties habetur verbum in intelligente: *Complures* autem faceret difficultatem illa confirmatio, concedentibus intellectioem produci verbum, sed nobis pro ipsis respondendi cura non est sumenda.

QVÆSTIO VIII.

A quo producatur illa qualitas intellectiois.

CONCLUSIO I.

74. **D**E facto illa qualitas producitur ab intellectu. Hæc est communissima inter omnes qui illam admittunt, tam eos, qui dicunt quod seipsa egrediatur effectiue ab intellectu, quam eos etiam qui dicunt quod producatur per actionem à se distinctam.

Probari solet, quia alias non esset actus vitalis nec immanens, quia ad huiusmodi actus requiritur quod producatur à principio in quo recipiuntur.

Verum hæc probatio non sufficit, quia si ad actum vitalem & immanentem tequiratur quod producatur à suo subiecto, æque incertum erit intellectioem esse actum vitalem ac immanentem, ac ipsum produci ab intellectu, vnde in hac probatione obscurum per æque obscurum probatur.

Deinde quidquid sit de ratione actus immanens, pos-

Actio
quæ est
intellectio
non conuenit
vniuocè cum
actione
illa de
prædicamento
actionis.

Intellectio
de facto
est producta
ab intellectu.